

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 3 (1925)

Artikel: De supernaturali vitalitate gratiae sanctificantis virtutumque infusarum quaestio brevis
Autor: ychliski, Alexander
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762629>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 05.05.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

De supernaturali vitalitate gratiae sanctificantis virtutumque infusarum quaestio brevis.

Scriptis Dr. Alexander Żychliński, Poznań.

Profundissima sane sunt verba Apostoli, quibus intimam indicat rationem regenerationis nostrae in Christo, «per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae» (II Petr. I, 4). Ex quibus Theologi iure meritoque praeunte Angelico Praeceptore optimam gratiae sanctificantis deducunt definitionem. «Gratia, dicit D. Thomas, nihil est aliud quam quaedam participata similitudo naturae divinae» (III q. 62 a. 1). Alibi vocat Angelicus Doctor gratiam participationem quandam divinae naturae, quae excedit omnem aliam naturam (I-II q. 112 a. 1).

Quam gratiae definitionem accuratius considerantes ipsumque gratiae sanctificantis conceptum profundius perscrutantes conveniunt Theologi affirmando participationem, quae fit per gratiam habitualement, non moralem tantum, sed physicam esse naturae divinae participationem, quatenus homo in iustificatione realem recipit atque intrinsecam, h. e. intus in anima repositam, qualitatem supernaturalem, qua formaliter deificatur. Ex quo sequitur gratiam habitualement divinae esse naturae participationem formalem, licet analogam, et non virtualement tantum. Vita enim supernaturalis, quae datur per gratiam quatenus est divinae naturae participatio, est perfectio simpliciter simplex, ideoque competit formaliter Deo et creaturae rationali elevatae ad statum gratiae, licet non eodem modo, cum in Deo sit per essentiam, in nobis vero participative et accidentaliter.

Ulterius tenetur gratiam sanctificantem esse participationem naturae divinae formaliter et reduplicative ut infinita est et actus purus, habetque totam essendi plenitudinem.¹ Liquet creaturam

¹ *Joa. Bapt. Gonet, Clypeus theol. thom. tom. IV, Coloniae Agrippinae 1677, p. 91.*

omnem aliquomodo divinae naturae participare similitudinem, secundum quod in propria constituitur specie. Haec tamen naturalis participatio respicit naturam divinam non formaliter et reduplicative sumptam ut infinita est et omnem aliam excedit naturam, sed ut est causa efficiens, exemplaris et finalis omnis naturae creatae. Gratia vero est participatio naturae divinae secundum propriam eius intimamque rationem, quae nobis non nisi per fidem innotescere potest. Fide autem edocemur intimam atque individualemente deitatis naturam superabundanti quadem et infinita plenitudine essendi constitui, quae plenissima ac foecundissima est vita, Vita scilicet trinitaria. Jure proinde affirmant Theologi gratiam esse participationem naturae seu τὸν esse Dei ut est trinus in personis, seu aliis verbis, gratiam esse participationem physicam atque formalem, etsi analogam, ipsius Vitae trinitariae.¹

Quibus in tuto positis movetur quaestio, utrum gratia sanctificans formalis sit atque physica naturae divinae participatio eo sensu, ut participet intimam vitam Dei prout formaliter vita est, habeatque consequenter propriam vitalitatem supernaturalem ipsi formaliter inhaerentem, an sit tantum participatio naturae divinae sub formali ratione entitatis habeatque propriam entitatem supernaturalem, nec tamen propriam supernaturalem vitalitatem.

Certum est actiones nostras supernaturales aliqua vitalitate gaudere etiam supernaturali, cum sint actiones vere vitales simulque entitative supernaturales. Restat tamen solvendum dubium, utrum ratio illa vitalitatis nostrarum actionum supernaturalium pro unico habeat fonte vitalitatem naturalem potentiarum derivatam a vitalitate ipsius animae, an propriam dicat vitalitatem supernaturalem derivatam a supernaturali vitalitate gratiae sanctificantis.

Quo in enodando dubio Theologi non inveniuntur omnino unanimes.

Juxta quosdam vitalitas actuum supernaturalium formaliter derivatur a potentia naturali (ut elevata) et radicaliter ab anima (ut elevata habitu supernaturali); a supernaturali vero habitu derivatur vitalitas actus supernaturalis non tamquam a principio formaliter vitalitatem supernaturalem influente, sed tamquam a principio potentiam elevante. «Esse actum vitalem in ordine supernaturali, dicit Baltassar Navarrete, tribuitur totaliter habitui supernaturali, et vitalitas, quae in actu

¹ Cfr. *J. Souben*, Nouvelle Théologie dogmatique IV, Paris 1905, 131 sqq.; *M. Grabmann*, Die Idee des Lebens in der Theologie des hl. Thomas v. Aquin, Paderborn 1922, 47 sqq.

supernaturali invenitur, debet tribui formaliter habitui supernaturali tamquam elevanti potentiam, non tamen tamquam tribuenti primam rationem formalem vitalitatis.»¹ Audiatur pro hac sententia adhuc Paulus Nazarius :

«Diligenter observandum est, dicit, in visione duo illa intime claudi, scilicet vitalitatem et supernaturalitatem, quae secundum quandam appropriationem, sive adaptationem in duo solent reduci principia, videlicet in intellectum et lumen gloriae : ut ab intellectu procedat vitalitas, a lumine vero gloriae supernaturalitas. Sed quoniam intellectus illustratus et factus deiformis per lumen gloriae est unum perfectum principium supernaturale visionis supernaturalis simplicissimae ; hinc fit, ut supernaturalitas vitalitatem intime imbibat, fitque vitalitas supernaturalis, et supernaturalitas vitalis Quoniam non alio modo concurrat lumen, quam ut principium formale et ratio agendi potentiae intellectivae, ut eius complementum, se tenens ex parte ipsius potentiae : at quod eo modo concurrat ad agendum immediate concurrat ; et totius est causa operis modo suo.»² Quod vero de lumine gloriae asseritur in actu visionis beatae eliciendo, hoc idem dici consequenter debet saltem iuxta mentem Nazarii de habitibus virtutum infusarum in ordine ad actus illarum virtutum.

Communior tamen sententia saltem inter Thomistas tenet gratiam sanctificantem virtutesque infusas propriam habere vitalitatem supernaturalem, quae radicaliter ad gratiam pertinet, derivative vero ad virtutes infusas. In cuius sententiae favorem sequentes licet afferre rationes.

Prima desumitur ex auctoritate D. Thomae. En eius verba : « Deus est vita effective et animae per charitatem, et corporis per animam ; sed formaliter charitas est vita animae, sicut et anima vita corporis » (II-II q. 23 a. 2 ad 2). Et alibi haec habet : « Esse naturale per creationem Deus facit in nobis nulla causa agente mediante, sed tamen mediante aliqua causa formali : forma enim naturalis principium est esse naturalis ; et similiter esse spirituale gratuitum Deus facit in nobis nullo agente mediante, sed tamen mediante aliqua forma creata, quae est gratia » (De Verit. q. 27 a. 1 ad 3). Ex quibus sic arguo : Sicut anima est causa formalis vitae corporis et principium quo eius, ita

¹ Controv. in D. Thomae eiusque scholae defensionem t. I, Vallisoleti 1605, controuv. 36, § VI (p. 233).

² Comment et Controv. in I partem Summae D. Thomae, Venetiis 1610, q. 12 a. 5, controuv. 2 (p. 307).

charitas et consequenter gratia sanctificans est causa formalis vitae supernaturalis animae et principium quo eius. Sed principium quo vitae debet in se formaliter habere vitam, sicut anima, cum sit principium quo vivimus, formaliter vitam habet. Ergo charitas et gratia sanctificans debent habere in se formaliter vitam, seu propriam vitalitatem. Quae vitalitas seu forma vitalis debet esse supernaturalis, cum sit principium quo vitae supernaturalis. Idem docet S. Thomas in *De Verit.* q. 27 a. 3 ad 21 : « Dicendum quod anima aliter se habet ad vitam naturalem, et ad vitam gratiae : ad vitam enim gratiae se habet, ut quod alio vivit, ad vitam vero naturae, ut quo aliud vivit. » Ex quibus constat gratiam iuxta Angelicum Doctorem esse principium quo vitae supernaturalis animae. Sed principium quo vitae debet in se habere formaliter vitam. Juvat afferre hic explicationem Cardinalis Gotti disserentis de lumine gloriae qua principio quo vitalitatis visionis Dei. Quae doctrina etiam ad rem, de qua in praesenti agitur, congrue potest applicari. « Visio Dei, dicit, et procedit ab intellectu, ut principio, quod videt, et vivit per illam ; quia vero intellectus non videt Deum, nisi medio lumine gloriae, ideo visio Dei debet procedere etiam a lumine, sed ut a principio quo videndi. Esto autem principium vitale quod debeat esse vitale originative, et oriri ab intrinsecis ipsius viventis, et etiam principium vitale quo ad connaturalem actionem ; principium tamen tale quo eliciendi actionem vitalem superioris ordinis, et excedentis vires nativas, non potest oriri a principiis intrinsecis, sed sat est, ut sit intrinsecum affective, et inhaesive, i. e. quod licet ab extrinseco adveniat subiecto, in eo tamen intrinsece recipiatur, illudque reddat intrinsece potens elicere actionem vitalem. Sic anima rationalis ab extrinseco venit per infusionem, et tamen est principium radicale quo omnium actionum vitalium, quae sunt in homine. »¹ Ex quibus responsio habetur ad instantiam desumptam ex eo, quod actio vitalis et consequenter ipsa vitalitas necessario videtur procedere ab intrinseco naturae viventis. « Nam licet id quod est principium vitale proximum ut quod, petat ab intrinseco convenire ; quod tamen solum est vitale ut quo istam . . . emanationem non petit. »²

Secundam rationem sententiae superius allatae depromere licet ex auctoritate Theologorum. Duo sufficiat afferre testimonia. Unum

¹ *Ludov. Gotti* O. P., *Theologia scholast. dogmatica*, De Deo, tract. III, q. 4, § III, n. 18 (Venetiis 1750, t. I, p. 169).

² *Petrus de Godoy* O. P., *Disputationes theol.* in I. p. S. Thomae, disp. XVI, § VII, n. 192 (Venetiis 1686, t. I, p. 195).

sit Vincentii Ferre O. P.: « Gratia, dicit, est formalis participatio naturae divinae, quae est principium radicale videndi et amandi Deum; ergo gratia erit vita supernaturalis animae participative proprie, et non solum metaphorice. Nam natura divina ex quo est radicale principium videndi et amandi Deum, est proprie principium vitale: ergo dum gratia illam formaliter participat quantum ad hoc, quod est esse radicale principium videndi et amandi Deum; vere erit vita supernaturalis participative. »¹ Etiam recentiores Theologi hanc ipsam saltem innuere videntur doctrinam. Audiatur pro altero testimonio sagacissimus M. Scheeben: « Wenn also die Kindschaft, die wir von Gott durch freie Liebe erhalten, zwar keine natürliche ist, insofern wir sie nicht in und durch unsere eigene uns wesenhafte Natur erhalten, so ist sie doch auch keine nackte äußere Adoption, weil sie uns neues Sein und *neues Leben mitteilt*, durch einen Akt, der eine gewisse Zeugung in sich enthält. Diese teilt uns eine zweite höhere, göttliche Natur mit, als *Lebenskraft* und *Lebenstendenz*. »²

Tertium denique argumentum, quo probatur doctrina asserens gratiam sanctificantem virtutesque infusas propriam habere ac supernaturalem vitalitatem, derivatur ex ratione theologica.

a) Gratia est formalis et physica participatio naturae divinae. Per naturam vero divinam intelligimus id, quod in Deo concipitur utpote radicale principium actionum specificè divinarum, scilicet intellectionis qua Deus seipsum intuitive videt et volitionis qua Deus seipsum amore beatifico diligit. Quae fontalis radix operationum vitalium propriam habet vitalitatem; ergo etiam gratia propriam habere debet vitalitatem utpote formalem participationem vitalitatis naturae divinae. Et sub hoc respectu vocare licet gratiam consortium vitae divinae.

b) Juxta sententiam certam communemque Theologorum virtutes infusae e gratia habituali profluunt et radicantur in ipsa sicut potentiae naturales ex anima fluunt et in eius essentia radicantur. Nunc vero virtutes infusae propriam habent et supernaturalem vitalitatem; ergo a fortiori gratia propria gaudet vitalitate supernaturali, quae radix

¹ Commentaria scholast. in I p. tract. III, q. VI, § XII, n. 878 (Osnabrugi 1680). Idem docent: *Petrus de Ledesma* O. P., Tract. de divina perfectione, q. 8 a. 8 (Salmanticae 1596, p. 365); *Didacus Alvarez* O. P., De auxiliis div. gratiae, lib. VII, disp. 64 (Coloniae Agrippinae 1622, p. 549).

² Natur und Gnade, ed. *M. Grabmann*, München 1922, 143. Cfr. *M. Grabmann*, Die Idee des Lebens, 65 sq.

est vitalitatis supernaturalis virtutum. Minor huius ratiocinii, a qua pendet tota vis argumenti, triplici probatur ratione¹:

Prima sic proponitur: Virtutes infusae, fides nempe et caritas, sunt perfectiones essentialiter ordinatae ad cognoscendum et diligendum Deum sub intima ratione deitatis; ergo virtutes istae sunt formales participationes earum perfectionum, quae in Deo sunt principia similium actionum, intellectus scilicet et voluntatis divinae. Sed perfectiones hae sunt principia vitalia operationum divinarum, seu potius, sunt ipsae vitales Dei operationes subsistentes et realiter identificatae cum natura divina, earumque vitalitas est propria ac specialis ordinis divini vitalitas. Ergo debet vitalitas haec participari formaliter a virtutibus infusis atque in ipsis formaliter, etsi analogice, inveniri. Sicuti proinde τὸ esse formaliter in Deo invenitur et in creaturis, etsi in Deo alio modo verificetur ratio entis ac in creaturis, attendendo scilicet ad analogiam proportionalitatis propriae, ita etiam τὸ esse supernaturaliter vitale, seu vitalitas supernaturalis, formaliter in Deo invenitur et in virtutibus infusis, ita tamen ut alio modo sit in Deo, scilicet per essentiam, et alio modo in virtutibus infusis, scilicet per participationem, secundum analogiam proportionalitatis propriae.

Alterum argumentum ad probandam minorem illam praedicti syllogismi desumi potest ex parte ipsarum potentiarum, quae virtutibus supernaturalibus perficiuntur. Potentiae enim, ut actiones valeant supernaturales elicere, complemento indigent ipsas perficiente et elevante, cum naturaliter improportionatae sint actui supernaturali. Sunt vero improportionatae non solum in ratione potentiae, seu principii proximi, sed etiam in determinata ratione talis potentiae, scilicet potentiae vitalis. Perfici proinde et elevari debent, non solum quatenus sunt potentiae seu principia proxima actionum, sed etiam quatenus sunt potentiae tales, scilicet potentiae essentialiter vitales. Sed ad hoc requiritur, ut forma perficiens et elevans sit non modo entitative supernaturalis tribuens potentiae proportionem cum actu et obiecto, et constituens eam in ratione potentiae, sed ut habeat propriam vitalitatem supernaturalem, qua potentiam perficere et elevare possit in ratione vitalis potentiae.

Confirmatur denique supradicta minor (virtutes infusae propriam habent vitalitatem supernaturalem) ex absurdo, quod secus sequeretur. Si enim vitalitas actus virtutis infusae nullo modo penderet ab ipsa

¹ Sequimur ex parte *Hyacinthum Choquetum* O. P., De origine gratiae sanctificantis, lib. I, disp. 12, cap. 2 (Duaci 1628, p. 155 sqq.).

virtute, sed penderet adaequate a virtute naturali potentiae, supernaturalitas vero actus virtutis infusae penderet adaequate a habitu supernaturali, tunc potentia naturalis et habitus supernaturalis ita concurrerent ad actum producendum, ut unumquodque eorum aliquid in eo efficeret, quod ab altero fieri non posset. Ergo actus virtutis infusae haberet duas causas partiales. Ex quo sequeretur actum illum esse essentialiter compositum ex duplici entitate diversi ordinis, scilicet ex vitalitate naturali et ex ratione specifica supernaturali; quod esse non potest, tum quia involvit contradictionem philosophicam, tum etiam quia pugnat cum veritate theologica de entitativa supernaturalitate actuum virtutum infusarum. Involvit quidem contradictionem rationis, quia «omnia, quae sunt de quidditate alicuius, debent esse eiusdem ordinis et pertinere ad idem genus». ¹ Pugnare vero allatam positionem cum veritate theologica de entitativa supernaturalitate actuum virtutum infusarum ex sequenti patet consideratione. Quodsi potentiae vitales propria tantum et naturali virtute concurrerent ad vitalitatem actuum virtutum, ad supernaturalitatem vero virtute habituum infusorum, tunc actus illi virtutum non essent entitative supernaturales, sed essent actiones mixtae ex aliquo naturali et aliquo supernaturali. Imo sequeretur praedictos actus solum esse supernaturales secundum aliquem modum, quia essent tales non ex dependentia a proprio eorum principio productivo, quod est potentia, sed ex tendentia in obiectum supernaturale quam haberent ex formis supernaturalibus. ² Restat ergo, ut vitalis potentia perficiatur et elevetur per habitum supernaturalem, qui propriam habeat vitalitatem supernaturalem, ita ut elevare valeat potentiam etiam ut vitalis est, fiatque unum perfectum principium proximum simplicis actus vitalis et entitative supernaturalis.

Ratio contra propositam sententiam praepremis militans, quam Navarrete expresse urget ³, desumitur ex eo, quod gratia, a qua pendet vitalitas supernaturalis virtutum infusarum, accidens est, et non substantia. Sed vitalitas debet radicari in forma aliqua substantiali, nam substantia tantum proprie est et proprie vivit, quia vivere est esse; esse vero proprie convenit substantiae. — Ut omnis vitalitas accidentis sumatur a forma substantiali, utpote a principio primo et radicali, in ordine naturali necesse esse concedimus. In ordine enim naturali

¹ *Didacus Alvarez*, De auxiliis, l. c., p. 551.

² Cfr. *Choquetus*, De origine gratiae, p. 157.

³ L. c., p. 232.

accidentia pendent a natura substantiali ut a causa materiali simul et efficaci, ideoque ultimum fundamentum accidentium et vitalitatis eorum habere debet rationem substantiae, quia substantiae sunt, quae proprie sunt et agunt. Quapropter accidens non potest in ordine naturali primo habere vitam et esse radicale principium operationum vitalium, cum necessario supponat substantiam, a qua eius fluat entitas, vitalitas et virtus operandi. Diverso vero modo res se habet in ordine supernaturali. Nam fundamentum et radix habituum et virium supernaturalium nec est nec esse potest substantia creata : nec creata substantia entitative et intrinsece supernaturalis, quia conceptus talis substantiae contradictionem involvit, nec ipsa natura creatae substantiae, uti per se patet. Radix et fundamentum habituum supernaturalium est potius qualitas creatae naturae inhaerens rationemque habet participationis substantiae superioris ordinis, scilicet substantiae divinae. Et in diversitate hac est ratio, propter quam ipsa radix vitae supernaturalis, quae est in nobis, potest esse accidens. Ex eodem capite habetur, quomodo unus habitus operativus supernaturalis et vitalis (v. gr. fides) esse potest absque alio, imo absque ipsa supernaturali radice vitali. Nam supernaturale principium vitale non est indivisibilis, substantialis natura, sed participata qualitas, quae plus minusve potest participari.

Stat ergo conclusio : gratia habitualis est vitalis forma propriam habens et supernaturalem vitalitatem. Ipsa est proprie supernaturale principium vitale, quo anima primo se movet ad finem supernaturalem et a quo fluit vitalitas propria virtutum infusarum. ¹

¹ Cfr. *Grabmann*, *Die Idee des Lebens*, p. 65 sq.

